

tributiones tamen quotidianas non percipiunt, Glossa communiter recepta, in c. fin., h. t., §. *Integre*, textu claro, c. *Licet*, 22, de *Præbend.* ibi : « Nolumus tamen, ut quotidianas distributiones, quæ tantum residentibus in ecclesiis, et his, qui intersunt horis canonicis ei (magistro videlicet theologiam docenti) tribui facias, » nisi forsan redditus omnes in distributionibus quotidianis consistenterent; tali enim in casu saltem duas partes reddituum perciperent, tertia parte accrescente præsentibus, uti ex declaratione cardinalium bene refert Garzia, de *Benefic.*, p. 3, cap. II, num. 351. Fagnanus, in c. ult., h. t., num. 2 et 3, vel nisi alicubi contrarie vigeret consuetudo, Glossa, loc. cit. Moneta, p. 2, de *Distribut.*, cap. x, n. 28, vel denique nisi ad id concurrat, quod diximus lib. II, tit. IV, de *Clericis non resident.*, n. 215.

17. *Studentes quoque theologiæ, vel juri canonico in absentia percipiunt fructus beneficii.* — Resp. III. Non tantum actualiter docentes theologiam, vel jus canonicum, sed etiam studentes eidem, in absentia percipiunt fructus suorum beneficiorum, saltem per quinquennium. Conclusionem hanc amplius declaratam, et probatam habes lib. III, tit. IV, de *Clericis non resident.*, § V, fere per totum, ubi vide.

18. Circa secundam partem hujus rubricæ quæritur IV. Utrum illicitum, simulque simoniacum sit, exigere aliquid pro licentia docendi? Resp. I. Graviter prohibitum, consequenter illicitum est, exigere aliquid pro licentia docendi, etiamsi in contrarium vigeat consuetudo. Unanimis et certa, claris juribus, c. 1, 2 et 3, h. t. Transgressores tenentur ad restitutionem perceptorum appellatione postposita, cit. c. 2, h. t., et puniri jubentur privatione officiorum ac beneficiorum, c. 1 et c. *Quanto*, 3, h. t., ubi ratio conclusionis redditur, cit. c. 2, h. t., ex *Matth.*, cap. x : « *Gratis accepistis, gratis date.* »

19. *Exigere aliquid pro licentia docendi est illicitum.* — Resp. II. Quamvis illicitum sit, et improprie seu large loquendo simoniacum dici possit, tamen stricte, et proprie loquendo non esse simoniam, pro licentia docendi aliquid exigere. Fagnanus, in c. 1, h. t., num. 12. Gonzalez, in c. *Quia nonnullis*, 4, h. t., n. 6, in fine. Suarez, de *Simonia*, cap. XVIII, num. 15. Engel, h. t., num. 8, post Glossam, in c. 1, h. t., §. *Consuetudinis*, ubi ait « Quasi simoniacum reputatur hoc. »

Nam dictio quasi regulariter est nota improprietas. Ratio conclusionis est, quia professura seu traditio doctrinæ nec in se est quid spirituale, sed officium mere temporale, nec dirigitur ad actus, qui per se spirituales seu supernaturales sunt; quamvis se habeant ad instar spiritualium, eo quod entitative sint spirituales, utpote subjectati in intellectu tanquam potentia spirituali.

20. *Et improprie, non tamen stricte simoniacum.* — Nec obstat, quod scientia sit donum Dei, arg. c. *Revertimini*, § *Si quis doctus*, 16, q. 1, adeoque tanquam res spiritualis non videatur posse vendi scientia, aut etiam licentia docendi absque simonia. Resp. enim scientiam esse quidem donum Dei, non tamen semper esse donum supernaturale: sicuti etiam sanitatis, vires, et artes sunt a Spiritu sancto, et donum Dei, non tamen supernaturale.

21. *Solvitur objectio.* — Quæritur V. An sit simoniacum, vel saltem illicitum, exigere vel accipere aliquid pro ipsa lectione SS. Scripturæ, professura, theologiæ, philosophiæ, et aliarum scientiarum? Resp. I. Certum esse, quod pro opera et labore tradenti, scientias naturales, v. g. philosophiam, grammaticam, medicinam licitum sit, et nullatenus simoniacum, exigere temporale etiam per modum pretii: quia hujusmodi doctrina non est res supernaturalis, et consequenter neque labor in ea procuranda impensus.

22. Quinimo potest æstimari pretium non solum ex labore, qui ponitur in studendo et erudiendo alios, sed etiam ex sublimitate rei ac veritatis, ad quam inducit: nam quamvis sic veritas intellectus videatur vendi, saltem indirecte (proprie enim venditur labor magistri, ut utilis ad gignendam in intellectu discipuli veritatem) ea tamen veritas est pure naturalis; neque a Spiritu Sancto per donum supernaturale, sed naturale tantum, prout etiam sanitas, vires, artes sunt a Deo.

Nec obstat, quod dicitur *Proverb.*, XXIII : « *Noli vendere sapientiam, et doctrinam, et intelligentiam,* » et *L. 1*, § 5, ff. de *Extraord. cognit.*: « *Est res sanctissima civilis sapientia, sed quæ pretio numerario non sit æstimanda, nec dehonestanda.* » Resp. enim, textum Scripturæ loqui de scientia infusa, uti interpretatur S. Thomas: per textum autem juris civilis tantum commendari, scientiam, ne vilipendatur.

23. *Pro actuali lectione, seu professura*

profane scientiæ aliquid per modum pretii accipere, non est simonia. — Resp. II. Certum etiam est, pro lectione seu traditione S. Scripturæ, theologiæ, ac hujusmodi, non tantum dari et accipi, sed etiam exigi posse justum stipendium seu salarium. Patet hoc ex tit. præced. Utrum autem per modum pretii quid exigi possit, quæstio manet, pro qua.

24. *Pro actuali lectione sacræ scripturæ, seu theologiæ potest aliquid accipi per modum stipendii. Et pro aliquibus illius actibus etiam per modum pretii.* — Resp. III. Pro quibusdam actibus theologiæ pretium accipi potest, pro quibusdam non. Ita Lessius, lib. II, de *Just. et jur.*, cap. xxxv, dubit. 13, hoc modo facile concordans doctores, cæteroquin in hac materia non adeo convenientes. Ratio est, quia theologia potest considerari secundum quatuor functiones. Primo ut tradens doctrinam Evangelicam. Secundo, ut dat responsa ad pacandas conscientias. Tertio, ut ex sacris doctoribus interpretatur divinas Scripturas. Quarto, ut ex principiis fidei deducit conclusiones, sive necessario, sive probabiliter, prout fit in theologia speculativa, quam scholasticam appellant.

25. Pro 1, igitur et 2, actu pretium exigere, est simoniacum, ut fatentur passim doctores; quia hi actus immediate referuntur ad fidem, spem, et charitatem, aliosque actus supernaturales, ut proin etiam concionatores, catechistæ, confessarii pro doctrina, quam impertiuntur, nil exigere valeant per modum pretii, bene vero per modum stipendii. Pro 3 et 4 actu licitum esse, accipere pretium, tenet Lessius, loc. cit. et communis doctorum apud Laymanum, lib. IV, tract. X, cap. ult. n. 30. Probatur hoc ex eo, quia in actu docendi theologiam, vel explicandi Scripturas, non habetur ratio assensus supernaturalis, sed solum suppositis fidei revelatæ propositionibus fit instructio, mediante qua possit discipulus ex propositionibus revelatis discurrere, et inferre non revelatas: unde sic eam speculando est scientia mere naturalis acquisita, ac potest dari in hæreticis.

26. *In ecclesiis metropolitanis, cathedralibus et collegiatis erigendæ sunt scholæ pro erudienda juventute.* — Quæritur II. Quid adhuc disponatur in hoc titulo? Resp. Inter alia præcipi, ut in ecclesiis metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis exigantur scholæ pro erudienda juventute tam in inferioribus,

quam theologia, ut patet ex c. 1, et c. *Quia nonnulli*, 4, h. t. ubi etiam mandatur, ut idonei ad hunc finem deputentur magistri, seu professores, eisque assignetur debitum salarium, seu stipendium, ita, ut cuivis etiam grammatices magistro detur una integra præbenda, seu id totum, quod redditur, seu proventus unius canonicatus efficit.

27. *Professoribus theologiæ assignanda est integra præbenda, canonicatus, grammatices professori vero debitum stipendium.* — Totum hoc confirmatur a concilio Tridentino, sess. 5, de *Reformat.* cap. 1, hæc tamen cum distinctione, et nova dispositione, quod non tantum in metropolitana (uti statutum erat jure communi c. *Quia nonnulli*, 4, h. t.) sed etiam in quavis ecclesia cathedrali constituatur unus magister, seu professor theologiæ, eique integra præbenda, seu redditus canonicatus modo ibidem specificato assignentur. Magistro grammatices vero, vel fructus alterius simplicis beneficii, vel de mensa episcopali, aut capitulari condigna merces seu salarium constituatur.

28. *Seminarium in quavis diœcesi erigi debet, et quomodo?* — Huc pertinet etiam dispositio concilii Tridentini, sess. 23, de *Reformat.* cap. XVIII, de erigendo in quavis diœcesi seminario. De quo ipsam Tridentini dispositionem intellectu facilem, et prolixam lege loc. cit. Vide etiam de hoc Fagnanum, in cit. c. *Quia nonnullis*, 4, h. t. (ADNOTATIONES XIV, XV et XVI.)

TITULUS VI.

De Judæis, et Saracenis, et eorum servis.

1. *Tres sunt species infidelitatis, paganismus videlicet, judaismus et hæresis.* — Viso de simoniacis, qui Spiritum S. vendendo per simoniam blasphemant, pergunt compiler ad eos, qui in Deum, ejusque Unigenitum Filium Jesum Christum per infidelitatem peccant. Tres autem sunt species infidelitatis, ut post D. Thomam 2, 2, q. 10, art. 5, notant communiter theologi, paganismus videlicet, judaismus, et hæresis. De hac ultima in sequenti, de duobus prioribus vero in præsentis titulo erit quæstio.

2. *Judaismus et Judæi, quid, ac unde se*

dicti? Quæritur itaque I. Quid sit judaismus? et quid Judæi? Resp. Judaismus est infidelitas seu error illorum, qui legem duntaxat mosaicam absque fide in Christum sectantur. Hinc Judæi sunt, qui legem mosaicam, seu vetus Testamentum ad litteram superstitione adhuc observant absque fide in Christum verum Messiam et Salvatorem nostrum; utpote quem nondum venisse, sed primum venturum credunt. Cæterum Judæi dicuntur a tribu Juda, quæ inter cæteras nobilior erat, et bellicosior, et ex qua reges assumebantur, ac duces populi; sicut de tribu Levi levitæ, ut sacerdotes illorum.

3. *Quod Judæi a principibus christianis nec recipi, nec tolerari deberent in locis christianis, plura militant argumenta.* — Quæritur II. An principes christiani in suis territoriis licite recipiant et tolerent Judæos, ritusque, et synagogas eorum? Ratio dubitandi, et negativam tenendi est; quod cum jubeantur templa paganorum claudi et dirui l. 1, et l. *Omnia*, 5, c. *de Paganis*, et sancti Patres laudent eorum eversionem, ac simulacrorum demolitionem, imo etiam hæretici, jubeantur expelli, c. *Excommunicamus*, 13, *de Hæret.* multo magis de Judæis, et synagogis eorum idem sentiendum videtur, eo quod impietas, usura, injustitia, et invidia Judæorum, eorumque abominandæ, et continuæ blasphemie in Christum, ac christianam religionem majora causent damna et pericula tam Ecclesiæ, quam reipublicæ. Porro pro sententia negativa affert Pignatell. tom. V, consultat. 14, a n. 1, argumenta plurima et talia, quæ efficaciter suadere videntur; adeo, ut propterea, e pluribus regnis christianis, Hispania, Belgio, Gallia, etc. eliminati sint. Quo non obstante:

4. *Quibus non obstantibus licite tolerari possunt et ipsi, et ritus, ac synagogæ eorum, et quare?* — Resp. I. Christiani principes licite tolerant in suis territoriis Judæos, ritusque et synagogas eorum: Barbosa, in c. *Sicut Judæi*, 9, h. t.; Pignatell. cit. tom. V, consult. 14, a n. 70, plures alios citans, Engel, h. t. n. 2, cum communi aliorum, arg. c. *Sicut Judæi*, 9, et c. *Etsi Judæos*, 13, h. t. ibi: « Etsi Judæos quos propria culpa submisit perpetuæ servituti, pietas christiana recepit, et sustineat cohabitationem illorum, » juncta l. *Nullus*, 14, c. h. t. et *Novell.* 146, cap. 1. Ratio est, quia ritus judaici tanquam figura veritatem Evangelicam tanquam figuratum confirmant, et Judæi, dum

progeniem, legem, et traditiones suas a Moyse, et prophetis constanter derivant, testimonium perhibent s. Scripturæ, ne ab atheis et paganis tanquam novum figmentum explodatur. Ob quam causam fortasse Deus gentem judaicam non penitus deleri, sed toto orbe spargi permisit, ut insinuare videtur S. Augustinus contra Faustum, cap. III, ibi: « Quid est aliud hodie gens ista, nisi quædam serinaria bajulans legem, et prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per sacramentum, quod illi nuntiant per litteram. » Quæ ratio, quia non militat in paganis, et hæreticis tam horum quam illorum receptio et tolerantia merito prohibetur.

5. *Judæi antiquas suas synagogas restaurare possunt, non autem novas erigere.* — Resp. II. Quamvis principes christiani licite tolerent Judæos, ritusque et ecclesias illorum simulque concedere valeant, ut synagogas ab antiquo receptas iterum restaurarent, tamen permittere non valent, ut novas erigant, vel altiores, aut ampliores efficiant, ita statuitur c. *Judæi*, 3, et c. *Consuluit*, 7, h. t. ibi: « Judæos de novo construere synagogas, ubi non habuerint, pati non debent. Verum si antiquæ corruerint, vel ruinam minantur, ut eas reedificent, potest æquanimiter tolerari, non autem ut eos exalcent, aut ampliores efficiant, » ita clare statuitur cit. c. *Judæi*, 3, et c. *Consuluit*, 7, h. t. ibi: « Judæos de novo construere synagogas, ubi non habuerint, pati non debet. Verum si antiquæ corruerint, vel ruinam minantur, ut eas reedificent, potest æquanimiter tolerari, non autem ut eas exalcent, aut ampliores, aut pretiosiores faciant, quam antea fuisse noscuntur. » Ratio est, quia sicut modica Judæorum dispersio per totum orbem videtur servire pro confirmatione veræ nostræ religionis, ita nimia eorum abundantia periculosa foret eidem religioni, et damnosa reipublicæ christianæ: hinc ne cum damno et periculo Ecclesiæ abundare incipiant, merito prohibetur, ne synagogas novas alicubi erigant, et solæ pro fine bono tolerantur antiquæ.

6. *Judæi ubi de facto non existunt, recipiendi non sunt: et quare?* — Colliges, quod, cum abundantia Judæorum periculosa, et damnosa religioni nostræ existat, immanesque blasphemie, et injuriæ ab eis in Christum redundant, sancte faciant principes catholici, sibi ac subditis suis, et cumpri-

mis honori Jesu Christi, ejusque religioni plurimum consulant, si ibi, ubi Judæi nondum sunt, non recipiant, ne gentis hujus damnosa et periculosa abundantia ulterius serpat; præsertim cum finis, ob quem tolerantur Judæi, per jam passim existentes sufficienter obtineatur. Terribilia, simulque verissima, et lectu dignissima sunt, quæ contra Judæos scribit Pignatell. cit. tom. V, consult. 14, quæ efficaciter probant, et convincunt, quod licet absolute loquendo recipi possint Judæi, tamen facile recipiendi amplius non sint. Legantur in fonte, et movebunt.

7 et 8. *Judæi semel recipiendi, amplius expelli non possunt nisi justa illos expellendi adsit causa.* — Resp. III. Judæi, qui in christianorum territoriis semel recepti, et de protectione assecurati sunt, sine justa et legitima causa expelli non possunt. Barbosa, in cit. c. *Sicut Judæi*, 9, h. t. n. 4; Decian. in *Pr. crimin.* lib. V, cap. xi; Socius, *Consil.* 86, lib. IV; Vasquez, *Illustr. controu.* cap. VIII, n. 12, et alii, arg. l. *Nullus*, 14, c. h. t. Ratio est, quia cuius etiam Judæo, et gentili fides juste data, servanda est, arg. l. *Sicut*, 5, c. *de Obligat. et act.*

Dixi, sine justa causa; ob hanc enim Judæos semel receptos iterum expelli posse, tenent citati, et alii doctores, inter quos etiam est Tuschus, litt. 1, §. *Judæi*, concl. 371, n. 58; Farinacius, *Frag. crimin.* part. 2, litt. 1, n. 64; Ricciul. tract. *de Jure personar. extra gremium Ecclesiæ existent.*, lib. II, cap. LI, ubi a n. 9, recenset causas, ob quas Judæi expelli possunt. Inter has causas juxta Barbosam, loc. cit. sunt vel maxime, si ex illorum cohabitatione periculum vel scandalum imminet christianis, vel si machinationes, aut enormia præparant contra fidem, aut fideles christianos, arg. l. *Judæos*, 11, l. *Judæi*, 16, c. h. t. cum Concordant.

9. *Judæi certis legibus, et pœnis constringi possunt et debent, ut avertatur omne periculum et damnum tam religionis, quam reipublicæ.* — Resp. IV. Etsi Judæi, semel recepti sine causa ejici non valeant, possunt tamen ac subinde debent Judæorum etiam receptorum rursus, et negotiationes, modusque vivendi et conservandi, legibus et pœnis ita constringi, ne quidem moliri valeant vergens in religionis contemptum, aut periculum, vel reipublicæ damnum. Ita communis, et praxi confirmata doctrina, arg. l. *Judæi commun.* l. *Nullus*, 14, c. h. t. cum

concordant. Ratio est, quia alias nec religioni, nec reipublicæ sufficienter cautum foret, ob inexplicabilem nequitiam, et invalidam Judæorum erga Christianos et religionem ipsorum.

10. *Christiani non possunt cum Judæis habitare in eadem domo, nec uti eorum medico aut medicina.* — Quæritur III. An? et qualis communicatio Christianis cum Judæis prohibita sit, vel concessa? Resp. I. In sequentibus prohiberi fidelibus communicationem cum Judæis habere.

I. Non possunt cohabitare in eadem domo cum Judæis.

II. Nec simul ingredi cum eisdem idem balneum: Neque adhibere medicum Judæum.

III. Nec sumere medicinam a Judæo præparatam. Quod totum patet ex can. *Nullus*, 13, cau. 28, q. 1, ibi: *Nullus*, etc., cum eis (Judæis nempe) habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus suis vocet, aut medicinam ab eis recipiat, aut cum eis in balneo lavet, si vero quisquam hoc fecerit, si clericus est: deponatur; si laicus, excommunicetur. In casu tamen necessitatis, ubi alius pro recuperanda, aut conservanda sanitate idoneus medicus, vel chirurgus, quam Judæus haberi nequit, hunc quoque adhibere licet, uti bene advertit Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xxxi, n. 8. Sylvester, §. *Judæus*, q. 1. Piring, h. t., n. 2. Idem est de usu balnei, et medicinæ a Judæo præparatæ, eo, quod lex humana in casu necessitatis obligare designat per dicta lib. I, tit. II.

11 et 12. *Christianus Judeo pro mercede servire non potest, nec in domo, nec extra domum illius.* — IV. Prohibetur omnibus Christianis, ne serviant Judæis in domibus eorum, adeo, ut nec nutrices, nec obstetrices esse possint infantium Judæorum, textu expresso c. *Ad hæc*, 8, h. t. Causa hujus prohibitionis est scandalum, seu periculum perversionis ex tali servitio consurgens, uti patet ex cit. c. *Ad hæc*, h. t., illis verbis: Quoniam ipsi (Christiani) de facili ob continuam conversationem, et assiduam familiaritatem ad superstitionem, et perfidiam simplicium animos inclinarent. Concordat c. *Etsi Judæi*, 13, h. t. ubi etiam alia causa prohibitionis adducitur illis verbis: Nec filii liberæ filijs famulentur ancillæ, sed tanquam servi a Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illo-

rum, quos Christi mors liberos, et illos servos effecit.

Controversia est inter doctores an saltem extra domum Judæorum possint Christiani illis pro mercede servire, Glossa siquidem in cit. c. *Ad hæc*, 8, h. t., §. *In eorum domibus*, et ibidem Abbas, n. 2, affirmant, eo quod respecta servientium extra domum videatur abesse ratio prohibitionis, scandalum videlicet, et periculum perversionis. E contra Joan. Andreas, in cit. c. *Ad hæc*, in fine. Felinus, n. 3. Barbosa, n. 4. Gonzalez, n. 4. Sylvester, §. *Judeus*, q. 2, dict. 3. Sanchez, in Decalog., lib. II, cap. xxxi, n. 19 et 29, et alii rectius id negant: Tum quia c. *Ad hæc*, 8, h. t. universaliter et absolute inhibita est omnibus Christianis, etc., ne Judæorum servitio se assidue pro aliqua mercede exponant. Nec refert, quod loquens de nutricibus in domibus eorum addiderit legislator; quia id non fecit ad restringendam prohibitionem, sed quod frequentius contingere solet, exprimere voluit.

13. *Solvitur instantia.* — Nec valet objicere, in servientibus extra domum non procedere rationem prohibitionis, periculum nempe perversionis. Nam contra est, quod etsi, dato non concessio, cessaret causa prohibitionis in c. *Ad hæc*, 8, h. t. allegata, tamen non cessat causa allegata c. *Etsi Judeos*, eodem. quia videlicet contra dignitatem Christiani est, agere servum Judæi a Deo reprobati, et ad serviendum condemnati. Vide textum supra n. 11.

14. *Christiani possunt in sua domo habere Judæum pro servo.* — Cæterum bene inferitur, quod licet Christiani possint habere Judæum pro servitio suo extra domum, arg. cit. c. *Etsi Judæos*, 13, h. t. tamen eundem continuo habere, et cum illo commorari non possint in domo sua, ut bene docet Sanchez, loc. cit., n. 2. Sylvester, §. *Judeus*, q. 3, dict. 1. Pirhing, h. t., n. 2, arg. cit. can. *Nullus*, 13, cau. 8, q. 1, ubi omnis cohabitatio cum Judæo interdicitur. Ratio est, quia etiam in tali casu commoratio, et continua familiaritas cum servo Judæo periculum superstitionis Judaicæ generare potest.

15. *Nec possunt aliquos Judæos invitare ad convivia, nec possunt invitati in conviviis Judæorum comparere.* — V. Prohibitum est Christianis, ne Judæos ad convivium invitent, et ne invitati in conviviis eorum compareant, textu expresso can. *Omnes*, 14, cau. 28, q. 1. Ratio prohibitionis est tum perver-

sionis periculum: tum ne Christiani habeantur minus sancti, dum hi cuncta, que apponuntur, manducant, illi vero pluribus seu immundis abstineant, uti bene innuitur cit. can. *Omnes*, ibi: Cumque ea, que Apostolo permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani quam Judæi; sic nos, que ab ipsis apponuntur, utamur, illi vero a nobis oblata contemnant. Licitum tamen est cum Judæo manducare in eadem mensa, casu quo in eodem diversorio conveniant, uti bene advertit Sanchez, lib. II, cap. xxxi, n. 15. Pirhing, h. t., n. 3.

16. *Christiani non possunt Judæis committere officia publica.* — VI. Non possunt Christiani Judæis committere officia publica, quibus eis competat potestas, vel jurisdictio in Christianos, textu expresso c. *Cum sit*, 16, h. t. ubi duplex ratio assignatur illis verbis: Cum sit nimis absurdum, quod blasphemus Christi, in Christianos vim potestatis exercent: et infra: Quoniam sub tali prætextu Christianis sunt plurimum infesti.

17. *Nec aliquid eis relinquere in testamento.* — VII. Prohibitum est Christianis, ne Judæos hæredes, vel legatarios in testamento instituant, arg. l. 1, c. h. t. Glossa in c. *Judæi*, 5, h. t. §. *Permittuntur*.

18. *Licitum tamen est Christianis emendo, et vendendo contractus inire cum Judæis.* — Resp. II. Licitum est Christianis, emendo et vendendo inire contractus cum Judæis, dummodo nimia caveatur familiaritas cum ipsis et conversatio, que scandalum, vel periculum generare posset, Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. xxxi, n. 23. Pirhing, h. t. n. 8. Ratio est, quia id nullo jure invenitur prohibitum; nam concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur, Glossa, in c. *Inter corporalia*, §. *Non invenitur. de Translat. episcop.*

19. *Ac etiam curiositatis causa intrare synagogas eorum, et ritus eorum observare; cum cautela tamen.* — Ex eadem ratione volunt aliqui, licitum esse Christianis, intrare Judæorum synagogas, quod verum esse censemus, si abest scandalum, et perversionis periculum, præsertim, si ex sola curiositate, et breviter ad observandos, vel rideandos eorum supersticiosos ritus fiat: secus foret, si quis frequentaret eas, et diu moraretur in eis, quia hoc revera periculosam familiaritatem cum Judæis saperet. Sanchez, loc.

cit. n. 17. Azorius, p. 1, *Instit. moral.*, lib. VIII, cap. xxii, q. 3, in fine.

20. *Judæi semel legitime recepti possunt sua sabbata celebrare.* — Quæritur IV. Quenam ulterius Judæis de jure concessa sint? Et que prohibita? Resp. I. Præter ea, que jam dicta sunt, possunt I. Judæi libere celebrare sabbata, et alia putata sua sacra, ita, ut illo tempore in jus vocari, aut aliter impediri non valeant, textu claro c. *Consult.* 9, h. t. l. in *Festivitatibus*, 2, et l. *Judeus*, c. eod.

21. *Gaudetque jure civium aliorum.* — II. Judæi legitime recepti frui valeant jure civium aliorum, ita ut rerum dominia non tantum habere, sed de iisdem tam inter vivos, quam mortis causa libere disponere, et quosvis contractus tam inter se, quam cum Christianis inire, matrimonia inter se ritu suo contrahere, actiones instituere, et excipere, etc., queant. Mynsing, cent. 5, observ. 6. Alexander, volum. 3, consil. 71, et alii communiter, I. Judæi Romano jure, 8, h. t. desumitur id ipsum etiam ex c. *De terris*, 16, de Decimis, et c. *Quanto*, 18, in fine, de Usur. et confirmatur universali consuetudine, que est optima legum interpret, c. *Cum dilectus*, 8, de Consuetud.

22. *Conversis nil mali irrogare possunt alii Judæi.* — III. Specialiter, et expresse constituitur in jure, ut Judæi conversi ad fidem possessionibus, et bonis suis nullatenus spoliarentur, et spoliati beneficium restitutionis plenum recipiant, textu claro c. *Judæi*, 5, §. *Si qui*, h. t. cum concordant. Neque possunt propter conversionem ad fidem a parentibus Judæis exhæredari. Glossa, in can. *Judæi*, 7, cau. 1, q. 4, §. *Fideles*, sed favore majori digni liberantur a patria potestate, et fiunt sui juris, Glossa, in can. *Judæorum*, 11, cau. 28, q. 1, §. eod. Pirhing, h. t. n. 27.

23. *Litigantes cum Christianis, coram judice Christiano comparere debent.* — IV. Quamvis Judæi tam instituere, quam excipere valeant actiones, tamen si quam habent cum Christianis, coram judice Christiano litigare compelluntur, sive rei sunt, sive actores, l. *Si qua*, 15, c. h. t. ibi: Si qua inter Christianos et Judæos sit contentio, non a senioribus Judæorum, sed ab ordinariis judicibus dirimetur.

24. *Delinquens contra clericum Judæus qualiter puniendus?* — Quod si contra clericum

delinquant Judæi, a judice sæculari Christiano pœna pecuniaria competenter ad satisfaciendum læso clerico compelli debent: casu quo autem judex sæcularis in hoc deficeret, a judice ecclesiastico per censuras ad id compellendus esset juxta præscriptum c. *Postulasti*, 14, h. t. Ipse tamen Judæus clericum percuciens excommunicationem non incurrit, nec censuris ecclesiasticis puniri, vel ad satisfaciendum adigi potest, juxta illud Apostoli 1, Corinth., 5. Quid mihi de his, qui foris sunt.

25. *Judæi debent portare habitum a Christianis distinctivum.* — Porro illud circa Judæos notandum, quod in habitu a Christianis aperte distingui, consequenter in habitu signa manifeste distinctiva habente incedere debeant, prout expresse statuitur c. *In nonnullis*, 15, h. t. ibi: Statuimus, ut tales utriusque sexus in omni Christianorum provincia, et omni tempore, qualitate habitus publice ab aliis populis distinguantur. Ratio ibidem additur, ne ex velamine erroris damnatæ commixtionem, aut alia perversionis pericula eveniant.

26. *Saraceni quinam, et unde dicti?* — Quæritur V. Quinam veniant nomine Saracenorum? Et quid juris de illis? Resp. I. Nomine horum veniunt omnes illi, qui impiæ Mahometicæ sectæ adhærent, ejusque dogmata in Alcorano contenta sectantur, et nec novum testamentum recipiunt, vetus vero tantum ex parte amplectuntur; quales sunt non solum Turcæ, sed etiam Persæ, Tartari, Ægyptii, et plurimi in Africa, omnes videlicet, qui dogmata Mahometi sequuntur, ut cum aliis bene observat Barbosa, in c. *Ita quorundam*, 6, h. t. 3. Dicit volunt Saraceni a Sacra uxore Abrahamæ, quasi ab ea stirpem derivarent: cum tamen ab Agar ancilla Abrahamæ, et matre Ismaelis originem trahant. Verum ne ab ancilla descendere communiter sciantur, ad declinandam ignominiam, et generis labem, a Sara se provehere mentiuntur, indeque Saracenos se intulant, ut bene observant Covarruvias, *Var. Resolut.* lib. IV, cap. ix. Valensis, h. t. n. 2, et alii.

27. *Etiam pagani, sed minus proprie veniunt eorum nomine.* — Nomine Saracorum etiam paganos, ac omnes infideles venire volunt Zoesius, h. t. n. 3, et alii, arg. c. *Quamvis sit*, 10, et c. *Ex speciali*, 18, h. t. Verum proprie loquendo Pagani illi sunt, et vocantur, qui verum Deum cœli in terra ne-